

Ex hisce aliisque, multis modis occurrentibus, rationibus manifestum est, monachum vetustis usum esse membranis, quarum transscribendarum in se suscipere curam eamque non satis sollicitam, quam vitiis nostram Peutingerianam Tabulam scaterere videamus. — Quae cum ita se habeant, vilipendendum declarem laborem parum eruditi monachi, antiquum quidem sed vitiis inquinatum ad nos transfere- rentis opus? Ne proferas, Benevole Lector, ejusmodi in studia delinquentem sententiam. Naevi licet occurrant, est tamen Tabula, eritque quoad literae florent, praestantissimum antiquitatis studio de- ditis adminiculum, quo carere velit nullus cuivis Europae nationi adscriptus; omnibus enim atque singulis ostendit qualis fuerit Romani Imperii effigies florentissimo reipublicae statu.

Quae ut distinctius elucescant, observationes de Tabulae proponam structura, mox de utilitate inde ad nos emanante, de comparatione cum Itinerariis scriptis, denique de vitiis eaque in melius redi- gendi methodo agam; non multum novi adlaturus eruditis iter monstrante haud egentibus, aliquantum forsitan operae navaturus Romanorum re geographica imbui concupiscentibus.

S e c t i o V.

Methodus in exarando Orbis Picti archetypo adhibita, indeque ad nos redundans utilitas.

Mappam geographicam talem, quali nos utimur, ubi quivis locus suo situ septentrionem meri- diemque versus apparet, ubi regiones veram sui imaginem intuenti monstrant, Romani non effinxe- runt, nec, si voluissent, effingere potuissent. Augusti enim aevo, cum et latitudinis vera ratio non nisi in perpaucis urbibus esset cognita, et longitudinis rite determinandae omnia deessent adminicula, char- tarum nostra methodo delineandarum denegabatur facultas; id quod perspicuum est e vetusta Erato- sthenis terrae delineatione. Qua ex causa aliud necessario erat excogitandum artificium, cujus ope viarum directiones contemplantium oculis uno intuitu haud interrupto ordine subjicerentur. Secundo secu- lo prodierunt quidem Ptolemaei universi Orbis atque singularum provinciarum delineationes, mathe- matica ratione satis artificiosa constructae, stupendum opus, inauditam rem illi aevo exhibens, Roma- norum tamen Mappae nihil utilitatis adferens. Elaboratum enim olim Tabulae opus omnino destruendum immensoque labore reficiendum fuisset novis illud hisce chartis adaptaturo; vano insuper conatu. Ptole- maicis enim, praestantissimis scilicet ejus aetatis, chartis vias romanas illaturus ab irritomox incepto lassatus recedet, quod talem in hoc genere perfectionis gradum omnis antiquitas nunquam sibi acqui- sivit, quali astronomiae studium nos beavit recentiores. Nostris mappis geographicis illae Romanorum viae inseri possunt, Ptolemaicis nullo modo.

Alia igitur excogitanda erat inventio, qua, omni de figura provinciarum, de situ urbium cogitatione abjecta, viarum tantum ratio haberetur; inceptum difficultate haud carens, cum omnium itinerum origo